

A auleorum: vt non ambo cubita, quibus binis longiora sunt quinque ex vna parte impenderentur, sed cubitum ex hoc & cubitum ex hoc ac sic haberet ex ipsa superabundantia latus Orientale cubita decem, & Occidentale alia decem: Viginti enim sunt bina decem, quia velis vndecim, cubita triginta duplicatione & subtractione ab hoc ambitu detrahuntur. Sed quoniam id quod Latine interpretatum est: cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi, Græcus habet *ωλάγια*, quæ Latini nonnulli non latera sed obliqua interpretati sunt: merito mouet, quia et si nihil hic videatur obliquum vbi omnes anguli quatuor laterum recti sunt, *ωλάγια* tamen dici latera illa non possunt, quorum vnum est in facie, alterum retro, id est Orientale & Occidentale, sed *ωλάγια* dici possunt à dextero & à sinistro, id est Aquilonio & Australi. Cum ergo non sunt ea *ωλάγια* quæ habent cubita quinquaginta, quibus lateribus tegendis potuisse diximus superare longitudinem capillaciorum velorum, quomodo erit verum, cubitum ex hoc & cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi? Sed minimum de illis lateribus tegendis loquitur, quæ etiã dorsa appellat quindenorum cubitorum columnarumque ternarum, quæ cum porta atrij habente cubita viginti, & columnas quatuor, quinquaginta complet cubita & columnas decem. Hæc latera ex istis suis finibus in medium posuerunt atrij portam, ex illis autem ostium tabernaculi: inter portam atrij & ostium tabernaculi spatium iacet, quantum cubita illa concludunt viginti à porta, & dextera leuæque quindenaria. In eo spatium est altare tabernaculi, & inter altare tabernaculi labrum æreum, vbi sacerdotes manus & pedes lauabāt. Diligenter autem mensuris examinatis, fortasse in istis lateribus ternarum columnarum quæ *ωλάγια* Græce dicta sunt, nonnulla etiam obliquitas inuenitur, vt non frustra quidam interpretes nostri obliqua interpretarentur, quæ in Græco *ωλάγια* reppererunt. Non enim vela capillacia quindenis cubitis suis possunt tegere quindenaria cubita tentorium in illis lateribus, nisi posterioribus partibus tabernaculi atque tam ad illa latera descendatur, non amplius quam dena cubita depederint ex linea recta posterioris tabernaculi, id est à parte Occidentis: quæ linea cum habuisset octo colūnas pertinentes ad interior tabernaculum, decem habere cepit additis lateribus atrij exterioris: & cū habuisset cubita quadraginta ad octo columnas pertinentia, quinquaginta habere cepit in columnis decem. Ex hac ergo linea cum tecta fuerint velis capillacijs dena cubita ab utroque angulo venientia, restabit in medio triginta non tecta velis capillacijs, sed illis tantummodo auleis: in quorum triginta cubitorum medio per quotlibet cubita tenderetur, erat ostium tabernaculi. Proinde illa latera ternarum columnarum & quindenorum cubitorum, si ex illis finibus suis quibus sibi iungebantur portæ atrij, patebāt inter se cubitis viginti: quia tñ habebat porta quæ illa latera dirimebat: ex alijs autem finibus quibus herebāt posteriori illi lineæ tabernaculi, de qua locuti sumus, habebant inter se cubita triginta: proculdubio erant obliqua: quoniam plus inter se patebant ex hac parte vbi habebāt media cubita triginta, quam ex illa parte vbi habebant media cubita viginti. Ita illa decem cubita capillaciorum velorum, quod erat dimidium abundantis longitudinis quæ proficiebant posteriori parti tabernaculi, hoc est Occidentali, sicut alia decem proficiebant priori parti, id est Orientali, quinque cubitis complebant tecturam laterum illorum quæ *ωλάγια* dicta sunt, inde quinque & hinc quinque. Quæ si defuissent, dena cubita tegerentur in eisdem lateribus, & quinta

Tomus quartus.

nuda essent. Itaque quantum mihi videtur, melius intelligitur hinc esse dictum, cubitum ex hoc & cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi: non quia erant cum hinc & inde quina essent, sed quia ex illa longitudine redundabant, in qua binis cubitis erant auleis capillacia longiora, ex quibus duobus cubitis vniuscuiusque veli cubitum profecerat parti Orientali: restabat utique alterum cubitum parti Occidentali, vt cubitum ex hoc esset contegens super *ωλάγια* tabernaculi. Vnde dictum est, hinc atque hinc vt operiat, quia non operiebat totum, si eadem quina cubita defuissent. Nunc iam quoniam satis disputatum est, quomodo illa omnia intelligenda sint quæ in tabernaculi constitutione videbantur obscura: breuiter si possumus enitamar ostendere, quid sit eadem disputatione confectum. Ab Occidente igitur trahabatur, & prima erat ingrediendi porta atrij quæ patebat viginti cubitis, & habebat quatuor colūnas quibus depedebat velum viginti cubitis extentum. Erectum autem cubitis quinque, quatuor illis sæpe commemoratis coloribus ac picto opere variato. Hac portam ingrediens excipiebatur atrio, cuius latera dextera leuæque quindenis cubitis & terminis colūnis porrigebantur introfus: vt in medio poneret ostium tabernaculi interioris in ea parte qua perueniebant, sicut in medio ponebāt portam atrij ab ea parte vnde incipiebant. Hoc itaque atrium latius erat quam longius. Nam longitudo eius erat à porta ipsius vsque ad ostium tabernaculi interioris in cubitis ferme quindecim: latitudo autem circa portam in cubitis viginti, circa ostium vero in cubitis triginta. Vnde obliqua illa latera fuisse intelliguntur quæ dextera leuæque in colūnis terminis & quindenis cubitis erant. In hoc atrio erat altare sacrificiorum quadratum, quinque scilicet cubitis longum & totidem latum. Inter portam & altare spatium erat, vbi versabantur qui sacrificia imponebāt altari: introfus vero inter altare & ostium tabernaculi, locus erat cineris ante altare: & deinde labrum æreum vbi manus & pedes sacerdotes lauabant, vel altari in atrio seruiri vel tabernaculum interius ingressuri. Tentorium porro huius atrij in lateribus ternarum columnarum byssina erant, extenta cubitis quindenis, erecta cubitis quinque. Ab hoc ergo atrio intrabatur ostium tabernaculi, cum transisset altare & labrum æneum. Intrabatur autem apertis auleis, quibus decem, quinque hinc & quinque inde ex aduerso sibi met constitutis, totum ipsum interius tabernaculum cingebatur. Quo ostio ingresso, occurrebat velum quod ad ostium fuerat oppositum in quinque colūnis extentum, variatum illis quatuor coloribus: quod velum cum faciendum præcipere, adductorium vocauit, credo quod cureret, ducendo & reducendo, cum operiret atque aperiret ingressum. Transito isto velo, excipiebatur pars tabernaculi media inter hoc velum & illud alterum interius quod colūnis quatuor fuerat impositum, ex illis quatuor coloribus factum, & separabat inter sancta quæ forinsecus erant, & sancta sanctorum interius posita. In hoc itaque medio spatium inter ista duo vela, mensa erat aurea, quæ habebat panes propositionis in parte Aquilonis: & contra eam eandem labrum aureum septem lucernarum in parte Australi, Hucusque secundis sacerdotibus licebat intrare. Interius autem, id est in sanctis sanctorum intra velum quatuor colūnarum, arca erat testimonij deaurata, in qua erant tabulæ lapideæ legis, & virga Aaron, & vna aurea cum manna: & propiciatorium desuper aureum, vbi stabant duo cherubim alis obubrantes propiciatorium & intuentes inuicem ad ipsum. Ante arcam vero, id est inter arcam & velum positum erat altare incensum, quod aliquando aureum dicit scriptura, aliquando deauratum, aureum utique appellatum quod erat inauratum. Ad hæc sancta sanctorum nisi summo sacerdoti non licebat intrare quotidie propter inferendum incensum: semel autem in anno cum sanguine

f ne